

~~Ed. 276~~

1) Liber, P.

incol 2) - 15)

EL 236

(3) = HF



ΜΕΛΟΣ

DE HOMINVM  
PROTOPLASTORVM  
LAPSV

ET

FILII DEI DOMINI ET  
SALVATORIS NOSTRI IESV

Christi Incarnatione,

Scriptum

a

MATTHIA LANLSTENIO AL-  
tenbusano.

Rom. 5.

Quemadmodum enim per inobedientiam  
vnius hominis peccatores constituti fuimus  
multi: ita per obediētiā vnius iusti consti-  
tuentur multi.]]

HELMAESTADII

Excudebant hæredes Iacobi Lucij,

Anno M. D. xcviii.



Matthias Landsternius

✓  
[Melos]

verhefftes Et.



NOBILI GENERE CLA-  
 RISSIMIS, ERVDITIONE, AV-  
 CTORITATE ET VIRTUTE PRAE-  
 stantissimis viris, Dn. GEBHARDO &  
 Dn. LVDOLPHO ab ALVENSLE-  
 BEN, Nobilibus hæreditarijs in Erxleben,  
 Dominis, patronis ac meccænatibus  
 suis perpetuo colen-  
 dis.



χέλ' ἐπηγεανὸς μετὰ τὰς τροπὰς ἡελίοιο  
 εὖνⓄ, καὶ αὐθις ἤλυθεν  
 καινός, Νιῦ κλείσ' ἔθνη γενήσιⓄ ὦρλω  
 Χριστῷ Ἰησοῦ ἑλίε.

Τῆ τ' ἐν ἔτεσ ἀρχῇ δωρήματα πολλὰ φέρουσι  
 Ἄριστε εὐχοντες βροσί.  
 Τῆ ἔνεκεν καὶ ἐγὼν ὑμῖν πλυώνομοι ἄνδρες  
 Δώρημ' ὁπίσσω ἡβουόν  
 Αυτὰρ τριῖτόν μοι οἶον μῶσαι ἔδωκαν  
 Οἶοντε φοῖβⓄ ὦπασεν  
 Δηλονότη πέρ ἐπη, οἷς τλὴ γέννησιν Ἰησοῦ  
 Χριστῷ αἰείδω ἱερῶ,  
 Πέμπω εὐχόμενⓄ. Φαιδρῶς τά γε ὥστε δέχεσθαι  
 Ξενίον τε ὥσπερ λαμβάνειν.  
 Δώρημ' ἔτε μέγαν πέλεται, καλὸν ἔτε ὑπάρχει,  
 Μόνον δὲ μνημοσύνη πέλει



Τμετέρων μεγάλων δώρων, εὐεργισίων τε  
 Πενιχρῶ ἐμοιγ' ὀπασμένων.  
 Νῦν ὅ, τι λοιπὸν ἐστίται ἐγὼ πόλις ἀσερόεντ' ὦ  
 Ἄνακτα σεμνῶς λέεσομαι,  
 Ὄφρα ὄλοντο ἔτος ὑμῖν εὐημέρον ἦσιν,  
 Βαίνη χ' ὁμῶς νεφέλων ἄτερ.  
 Ἰψισίν τε Θεὸν καλέσω ἄγνησι λιψήσιν,  
 Ὡς ἠδέως διάγειν βίου  
 Νόσφιν ἄτερ νόσων χαλεπῶν τε κακῶν τε δύνησον  
 καὶ πάντ' ἄτερ νόσων θελεῖν.  
 Ζῶμεν ἠδὲ Θεὸς πολλὰς δοίη λυκάβαντας,  
 Παρόντ' ἔπος πολλὰ βλέπειν.  
 Τέτις νῦν ἔρρωσον; το ξενίον τ' ὅ, τι πέμπω  
 Χερσὶν δέχεσον εὐκόλοισι.

*Matthias Landstenius Altenbusanus.*



*Aeterni*



Eterni patris salve sanctissime Nate,  
Virginis intacta salve puer atq; parentis,  
Quem miseri toties homines in vota vocatum  
Expetiere, simul toties quem cernere coram  
Optauere patres sancti, diuig; propheta.  
Quis tibi tantus amor nostri dulcissime Nate?  
Nate Dei eterni nostri quæ tanta cupido?  
Quæ tibi tanta fuit pietas, ut culmine cæli  
Deserto indueres humani corporis artus?  
Non hic cunctipotens ceu Numen adesse videris,  
Candida sed teneri tecum geris ora puelli,  
Non regum instar ouas ingenti milite cinctus,  
Nec te mille viri, comites nec mille sequuntur,  
Ast humilis, spretus, relictus ab omnibus orbi  
Toti te seruatorem absq; satellite sistis.  
Non tibi tecta aderant excelsis fulta columnis,  
Nec lectum vario velabant picta colore  
Stragula, sed iuncus, filices & canna palustris  
Nobile tegmen erant, & agresti sede iacebas.  
At vos ô pueri puero noua carmina Christo  
Dicite, ferte rosas, cunisq; affundite flores,  
Cunis imposito puero simul oscula casta  
Figite certatim, properate morasq; mouete.  
Teq; ego Christe puer cantabo carmine casto,  
Sit mea Musa tuas recitando carmine laudes  
Officiosa tibi laudum præconia dicens,  
Te solum celebret, te molli carmine canter;  
Adsis ergo mihi facilis puer optime Iesu,  
Omnipotensq; pijs audacibus annue capis.  
Cum mare, cum tellus, cum lucida sydera cæli,  
Et quæcunq; volans Sol cernit ab axe supremo,  
Edicto superum nullo de semine nata

Essent: nunc hominem volumus de pulvere terra  
Condere (sic Deus est fatus) qui ad sydera vultum  
Tollat, & ut sancta nostra sit imaginis instar,  
Qui sibi subijciat dominus genus omne volucrum,  
Piscibus atq; maris praesit dominator aquosis,  
Qui quicquid tandem brutorum terra fouebit,  
Quae simul latitant tenebroso in carcere terra,  
Sub ditione premat propria, atq; fruatur iisdem.  
Nec mora: pulchra viri formauit membra tenelli,  
Eg; viri costis verbo iubet esse maritam.

Hortus amœnus erat vario vestitus honore  
Florum, quem circum currebant murmure fontes,  
Huic arbor vetitis inerat notissima pomis,  
Quam suavis medio fructus decorabat in horto.  
Tum Deus hunc hominem deduxit ad aurea tempe  
Hec, iussitq; sua propria ditione tenere:

Ecce, viden? (dicit Dominus,) genus omne volucrum,  
Squamigerum omne genus, stomacho frugesq; salubres,  
Quaeq; latent specubus caecis animantia terra,  
Hæc pedibus, manibusq; tuis subiecta teneto.  
Hisce fruere homo cunctis, tibi seruiat vni  
Quicquid multiplici producet sænore campus,  
Purpureasq; legas longis in vitibus uvas,  
Arboris atq; legas tibi poma grauantia ramos;  
Sed caueas moneo, caueat quoq; iuncta marita  
Arbore de vetita vetitum decerpere fructum,  
Nam si carpseritis mala quaeq; subibitis ambo,  
Atq; animam vestram morti tradetis acerba.  
Incautam at coluber phlegetontius ecce maritam  
Talibus aggreditur dictis: iam fœmina quare  
Tristior es solito? magni quæ causa doloris?  
Dic age tristitia, voluis quam pectore, causam

Fœmina,



Fœmina, nec celes me. Sed sic fœmina contra:  
Fructibus omnigenis vesci libet, atque benigna  
Quidquid terra dedit brutorum, quidque volucrum  
Aer summus habet piscis quid pontus & altus  
Possidet, & quid ager frugum proferre videtur,  
Quidque cibi tandem dederint sacra Numina cœli,  
Omne id sub nostra propria ditione tenemus,  
Tantum de vetita licet haud decerpere malum  
Arbore, quo morti non subijciamur amara.  
Rursus ad hæc serpens: ô tu quid fœmina voluis  
Pectore? cur renuis? certe nihil inde pericli  
Proueniet tibi, mors nec erit subeunda repente:  
Cur adeo cœli tu Numina sacra vereris?  
Arbore cur nolles fructum decerpere ab ista,  
Cunctarum cum sit dulci pulcherrima fœtu:  
Hæcce tuo infigas animo, decerpito, vite  
Qui permulta tuæ præbebit commoda, fructum:  
Sic Deus omnipotens æterna sede receptos  
Euehet astriferi vos ad penetralia cœli,  
Æternosq; Deo similes per sæcla manentes  
Omnia cernetis, pariterq; tenebitis omnia,  
Et cœlum & terram, quæque & cernuntur in illis,  
Nomina vestra poli terre bunt sydera & orbem;  
Arboris ergo huius dulcissima munera carpe,  
Commoda sic vosmet, simul & mala cuncta scietis,  
Non secus ac cœlo si prospiceretis ab alto,  
Que vosmet maneat, maneat que fata nepotes.  
Mollibus his verbis decepta miserrima coniunx  
Suauem de vetita decerpit ab arbore fructum,  
Decerptum gustat, gustatum deinde marito  
Porrigit aggrediens blandis sermonibus ipsum:  
O dilecte mihi mea maxima cura marite,

En optata venit fors nobis, huc pede quaeso  
Ad propera celeri, nec non desiste morari;  
Desine iam parere Deo, namque arbore quosuis  
De vetita licitum est nobis decerpere fructus,  
Sic etenim bona sic mala cuncta videbimus ipsi,  
Non secus ac celso si prospiceremus olympo,  
Quæ nosmet maneant, maneant quæ fata nepotes,  
Sic quoque ter sancto similes per cuncta manentes  
Terrarum magna cum laude tenebimus orbem,  
Insper & nomen nostrum cum sydere cæli  
Terrebit terram, stygij imaque regna draconis:  
Posthabito ergo Dei mandato iussa salubria  
Ambo facessamus, fructu vescamur & illo.  
Sic processit opus neglecta lege Iehouæ,  
Ast homines serpens deceptos deinde reliquit.

Tunc Deus iratus magna voce intonat: heus? heus?  
Quonam tu fugis? heus? quo iam te proripis? inquit,  
Quoue ruis magni sceleris tibi conscie Adame?  
Voce sed econtra tremula respondet Adamus:  
Ab Deus, ab nostras tua vox peruenit ad aures,  
Corporis at gelidus mea tunc tremor ossa subibat,  
Hiscere nec coram, carui quod veste, licebat,  
Sed loca querebam umbrosa circumdata frunde;  
Eheu, iunxisti quam tu mihi, fœmina, sancta  
Lege tua vetitum decerpit ab arbore fructum,  
Et mihi porrexit dictis fallacibus instans.  
Est Deus iratus dehinc talia verba locutus:  
Serpenti quoniam parentes ambo fuistis,  
Transgressiq; Dei legem suasore dracone  
Estis, perpetuo vos tristia quæque manebunt.  
Non nisi difficili, ô infœlicissima coniunx,  
Partu maturus clausi tibi ventris ab aluo

Facies

Fœtus prodibit, nec erit maris ulla potestas,  
Ille caput tollet, sed huic subiecta placebis.  
Et quoniam fructus decerptos arbore Adame  
Mandere es haud veritus contemta lege seuera,  
Sint maledicta tibi dulcissima munera campi,  
Atq; sinu grauido, vario qui germine ridet,  
Campus concipiet vepres, versabere in illo,  
Semina committes aruis, sudore parabis  
Victum, tu donec lumen vitale relinquas,  
Inque leuem cinerem, desumptus es unde, remigres.  
Atque ita continuo vindex Deus ille seuerus  
E paradiso hominem peccantem eiecit amœno,  
Et sanctum Cherubin stricto mucrone coruscum  
Horti in vestibulo iussit sacra arua tueri.

Non solum primos ea maxima pœna parentes,  
Sed cunctos etiam natos, simul atque nepotes  
Inde secuta fuit: (μέγαναιεὶ πῆμα ὑπάρχων.)  
Vsq; adeo diffusa lues est illa per omnes  
Aspergens nobis fœda contagia culpa:  
Morborum legio venit hinc, seriesque malorum,  
Hinc sitis atque fames, hinc turpis manat egestas,  
Hinc varij generis nobis sunt mille pericla,  
Hinc & bella fluunt, hinc lites atque dolores,  
Hinc est dira lues pestis, quæ proh dolor orbem,  
Penè omnem inuasit, nostras atque obruit oras,  
Hinc mala proueniunt quæ cuncta referre molestum est,  
Mors hinc ipsa venit vitæ post mille labores.  
Certè ob commissum delictum quisquis in undas  
Abijciendus erat stygias hoc semine natus,  
Æterni patris ἄρτος atque simillima imago  
Esset ni Christus nasci dignatus Iesus  
Assumens fragiles humani corporis artus.

A S

Hic

Hic animu dictis erexit, voce salutis  
Promisse lapsū & demulsit corda parentum:  
Ecce meum nunc est, inquit, succurrere lapsis,  
Estque meum amissam rursū reparare salutem;  
Ingrediar pater alme pudice virginis aluum,  
Ex hac nascar homo conceptus semine nullo,  
Debile carnis opus sumam, mortemque subibo,  
In stygium barathrum descendam, & tartara destruum,  
Inde adamantis claustris, stygioque barathro  
Destructo reueham dulcissima munera pacis.  
Ac mare quantumuis totum, terramque pererrem,  
Pœnam nemo tamen meritam pro crimine tanto  
Sustinuisse potest, lapsamque referre salutem.  
En sancita Dei lex est violata potentis,  
Illa redemptorem quarit nec culpa minorem;  
Ipse ergo solus, similis per cuncta parenti  
Qui sum cœlesti, noui deflectere mentem  
Iratam, lapsisque reconciliare parentem,  
Quod iubet æternus simul immemorabilis ardor.  
His erectus homo dictis prædulcibus omni  
Latitia fruitur, simul & noua gaudia captat.  
En hoc est illud de quo pius ante Micheas  
Vaticinatus erat diuina voce locutus;  
En est quod Maria prædixerat ante puellæ  
Angelus, aggrediens placida quam voce salutat:  
Sanctarum matrum salue sanctissima mater,  
Cunctarum matrum salue dignissima mater,  
Plena fauore Dei salue castissima virgo;  
Quid celeras ad cernendum mea lumina? quid tu  
Ad mea verba stupes? vanum depone timorem;  
Sum cœlestis ego fugentis nuncius aule,  
Imperioq; Dei mihi iam data iussa faceffo;

Ecce

Ecce tibi grauidus reddetur pondere venter,  
Casta concipies aluo, pariesque puellum,  
Cui sanctum impones venerandi nomen Iesu;  
Natus erit tuus hic, Natus simul atque potentis  
Numinis, atque poli regali sede receptus  
Isacida domui dominabitur omne per æuum.  
Qui? virgo mirare? virum haud quod noueris vllum?  
Desine mirari, quicquid nascetur ab aluo  
Virgineo iustum semper sanctumq; manebit,  
Nam quod concipies sacro de pneumate habebis,  
Ergo Deo fidas cui constant quæque potenti  
Effectu, ratio quantumuis sepè repugnet.  
Angelus hæc postquam dixisset verba puella,  
Annuit ipsa Dei genetrix purissima virgo,  
Atque λόγῳ salua genetrice recessit ab illa.

Quod superest eterne Deus tibi pectore toto  
Magnas & meritas laudes persoluimus omnes,  
Quod tibi nos similes primum tua dextera finxit  
Effigiem ad sanctam plena integritate fideque  
Ornatos, dein cum vitijs aspererat hostis  
Demon πλάσμα tuum, tua quod clementer id ipsum  
Gratia suscepit rursum, dum filius artus  
Induit humanos æternus, imago perennis  
Sancte Deus tua, dumque subit pro crimine mundi  
Mortem, quo iustam contra delicta parentis  
Iram dissoluat mortem & satanamque furentes  
Vincat, ut omnis homo, qui Natum amplectitur illum,  
Non pereat, sed agat ventura secula vita.  
Quare quod restat mortales pectore grato  
Munere pro tanto laudes tibi dicimus vni,  
Te solum canimus, te laude sonamus in æuum,  
Sacra tibi ferimus super aram thura precantes


Te pa-

*Te patrem aeternum submisso poplite, Natum  
Dilectum propter, nam nos peccasse fatemur,  
Crimina propitius nobis admissa remittas,  
Te sine namque salus non est, te poscimus omnes,  
Da bonitas iram vincat, clementia culpam,  
Respice placatus Nati, miserisque benignus  
Adsis, hancque luem nocturno tempore pestis  
Grassantem auertas nobis, iustum atque furorem  
Deletum esse sinas. Da sacri pneumatis auram  
Qui posthac & nos, & nostros dirigat actus,  
Ut vitare malum & rectum prestare queamus.  
Sacra ti nobis Deus o da munera flatus,  
Ut Natum exhibitum nobis agnoscere grato  
Pectore possimus tibi carmina blanda sonantes  
Gutturis praedulci simul ac dare munera laudum.*

FINIS;









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



ΕΛΘΩΝ  
DOMINVM  
PLASTORVM  
APSV

ET  
DOMINI ET  
IS NOSTRI IESV  
Incarnatione,  
Scriptum

à  
LANLSTENIO AL-  
tenbusano.

Rom. 5.  
m enim per inobedientiam  
ccatores constituti fuimus  
dientiam vnus iusti consti-

MAESTADII  
æredes Iacobi Lucij,  
M. D. xcviii.



8

